

1237.

[45]

Beiband 2

H.I S. 26

Abt Konrad von Helmarshausen bekundet die Schenkung einer Rente aus Gütern in Mülzen (bei Helmarshausen) und deren Verwendung. In nomine sancte et individue Trinitatis. Conradus Dei gratia electus in Helmword[eshusen] in perpetuum. Ordinata temporum transeunt cum tempore, si non scripti munimine perpetuentur. Noverint itaque universi ecclesie filii, quod Helmbertus miles de Exen de beneficio suo contulit ecclesie tres mansos in Mülessen hoc pacto, ut Burchardus clericus, filius predicti militis, eosdem mansos in sua teneat procreatione et singulis annis duodecim solidos levis monete in servicia fratrum assignabit. Qui hoc modo distribuentur: quattuor solidi in anniversario domini Wernheri de Exen fratri sui, quattuor in ipsius militis anniversario; quos tamen dum advixerit, ubi conventui placuerit aliquo die acceptabili karitati fratrum faciet deservire, et postmodum, ut dictum est, in anniversarium ipsius transferentur. Reliqui quattuor ad memoriam magistri Herimanni canonici Nortunensis distribuentur. Hiis duodecim solidis assignatis, quicquid redditum supereruerit, Burchardi cedet usibus. Ipso Burchardo de medio facto provisio eorundem bo-

norum in manus transeat custodis ecclesie. Qui predictos XII solidos in servitia fratrum primo assignabit et demum quod supererit in lumenaribus et vino divini officii ipse expendet. Ut autem hec donatio robur habeat firmitatis nec ab aliquo heredium suorum possit in irritum duci, paginam presentem conscribi et sigillo ecclesie nostre fecimus communiri cum testium astipulatione. Qui sunt: Hartmannus decanus, Otto scolasticus, Ricbodo cellararius et pene universa ecclesia. Heinmirithus plebanus. Hugo, Thedericus, Ludolfus, milites; Heinricus de Muthen, Heinricus Burgensis, Thidericus de Hesebeke et alii multi.

Actum anno dominice incarnationis M.C.C.XXXVII Indictione X.

Orig. Siegel ab.

Vergl. Pfaff, S. 144.